OFFICIA PROPRIA SANCTORVM

Recitanda partim de præcepto, partim ad libitum à Sacra Rituum Congre. gat. recognita, & approbata.



ROMÆ, Apud Franciſcum Caballum. M. DC. XXVIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

OFFICIA DE PRÆCEPTO SVNT.

AD LIBITVM.

IN FESTO S. CASIMIRI Confessoris. Semiduplex.

Approbat. & apponend. in Breuiar. Rom. ex decreto, &c. sub die 23. Ianuarij 1621.

Officiũ totum sumitur de cõi Conf. nõ Pont. præter propria quæ sequuntur. Oratio.

DEus, qui inter Regales delicias, intactum à mũdi illecebris spiritum sancti Casimiri Confessoris tui conseruasti, fac quæsumus vt tui fideles: ita in tuo amore firmentur: vt & terrena despiciant, & ad cælestia semper aspirent. Per dñm.

Deinde fit comm. fer. si in Quadrag. venerit, postea S. Lucij Papæ & mart Oro. D[illegible] de cõi vnius mar. & fer. occurr.

In j. Noct. si venerit in Quadr. Lect. Iustus si morte præoccupatus fuerit. cum reliq. de communi Conf. non Pont.

In ij. Noct. Lectio iiij.

SAnctus Casimirus, patre Casimiro, Tertio, Iagellonadæ, Rege Poloniæ, matre vero Elisabetha Austriaca Alberti Romanorum Imperatoris filia religiosissima fœmina natus, pueritiam, & magnã adolescentiæ partẽ, sub optimis Præceptoribus in litterarũ disciplinis, & studio virtutum exegit. Vbi autẽ eos adolescentię annos attigit, quibus vt plurimũ cęteri voluptati indulgere consueuerunt, mox sensibus & corpori suo frænum continentiæ iniecit, & iuueniles artus duro cilicio, & assiduis ieiunijs extenuando, lectiq. Regalis abiecta mollitie in nuda humo cubando, in more etiam positum habuit intempesta clam nocte sacras ædes adire, atq; ante ipsarum vestibulũ, posita in terra facie, Diuinũ numen exorare. In Diuinæ verò passionis contemplatione vir Dei, ferenti, ac indefesso mentis studio versabatur, tremendoq. Missæ sacrificio ita attẽtus, & mente in Deum erectus intererat, vt extra se planè rapi videretur.

℟. Honestũ fecit illũ. Lect. v.

SErmo ipsi aliàs disertissimo parcus, & modestus, isque potissimum de virtutũ excellentia, Dei laudibus, & proximorũ in turpi vitiorũ cæno volutantium, ad saniorẽ men-

tem, & vitæ puritatē reductione. Catholicæ religionis feruentissimus promotor extitit. Schisma Rutenorum abolere studiosissimè cōtendit; à patre quippe suo Casimiro ferri legē fecit, ne schismatici noua tēpla extruerent, neue extructa vetustate collabentia restaurarent. Egenis, viduis, pupillis, & oppressis, nunquā defuit, ideoque nomen sortitus erat Patris, & Defēsoris à fortuna humiliatorum. Virginitatē denique ab incunabulis planè vsque ad extremum vitæ spiritū integram, intemeratamq. seruauit: correptus enim graui ægritudine mori potius, quàm castitatis & pudicitiæ iacturā de Medicorum consilio subire constantissime elegit. ℟. Amauit eum.

Lectio vj.

DIem obitus sui diuinitus præcognouit, morboque inualescente, sumpto sacro viatico, perendie, prout prædixerat ipse sibi astātibus Sacerdotibus & viris Religiosis, animā purissimam carnis vinculo solutam in manus omnipotentis Dei commendans reddidit, ætatis suæ anno vigesimoquinto, cuius corpus Vilnæ in Ecclesia Cathedrali conditū honorificè quiescit. Post eius mortem exercitus Lithuanicus, exiguus numero, ob subitaneam & insperatam Mosci potentissimè instructi irruptionem, voto facto B. Casimiro, apparēte ipso in aere, quasi Duce præuio de hoste ad internecionem deleto victoriam insignem reportauit. Puella, Vrsula nomine, mortua Vilnæ, à parētibus ad sepulchrum Sancti oblata, vitæ superstes primæ subito facta est. Multi prçterea cœci visum, claudi gressum, & infirmi sanitatē, ad ipsius intercessionē receperunt, inque hodiernum diē recipiunt, monstrante Deo singularē sui famuli sanctitatē. Húc Leo Papa Decimus in numerum Sāctorū retulit. Paulus vero Quintus Pontifex Max. eius memoriā semiduplici celebritatis officio frequentandā præcepit. ℟. Iste homo.

In iij. Noct. lect. de homil. Sint lumbi vestri, &c. vt in cōmuni Conf. non Pont. ix. lect. de homil. fer. occurr.

In Laud. fit cōm. fer. & S. Lucij PP. & mart. vt sup.

Die xx. Martij.

IN FESTO S. IOACHIMI Confess. & Patris Beatiss. Virg. Mariæ. Dupl.

Approb. sub die 18. Martij 1623.

A Cap. omnia de cõmuni Conf. non Pont. exceptis ijs, quæ hic sunt propria, cum commem. S. Ioseph, & feriæ occurrentis.

Si hoc festũ venerit in aliqua Dom. Quadrages. transfertur in fer. tertia: & in primis Vesp. à Cap. fit de eo cum cõmem. S. Benedicti Abb. & feriæ occurr.

Si autẽ venerit in feria ij. in primis Vesp. omnia de cõmuni conf. nõ Pont. exceptis ijs, quæ hic sunt prop. cum cõm. Dom. Vers & Antiph. in j. Vesp. ad Magnif. & ad Bñs. ad Laudes.

℣. Potens in terra erit semen eius. ℟. Generatio rectorum benedicetur. Ana. Laudemus virũ gloriosum in generatione sua, quia benedictionẽ omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmauit super caput eius. Orõ.

DEus, qui prę omnibus sãctis tuis beatum Ioachim genitricis filij tui patrem esse voluisti; concede quæsumus, vt cuius festa veneramur, eius quo que perpetuò patrocinia sentiamus. Per dominum.

In j. Noct. in Quadr. lect. de lib. Ecclesiast. Beatus vir qui inuẽtus est. de cõi conf. non Pont.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Epiphanij Episcopi.

Oratio. de laudib. Virg. sub initiũ.

Lectio quarta.

DE radice Iesse ortus est rex Dauid, & de Tribu Regis Dauid sancta Virgo: Sãcta inquã, & Sãctorum virorũ filia: Cuius parẽtes fuerunt Ioachim & Anna: qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiã fructum eiusmodi germinarunt, Sanctam Virginẽ Mariam, Templum simul, & Matrem Dei. Ioachim porrò, Anna, & Maria, hi tres, Trinitati palã sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur pręparatio Dñi, eo quòd ex illo præparatum sit tẽplũ Domini, nempe Virgo. Anna rursus similiter gratia interpretatur, propterea quod Ioachim & Anna gratiam acceperunt, vt accedẽtibus precibus, talẽ fructum germinarent, Sanctam Virginẽ adepti: Ioachim siquidem precabatur in mõte,

Lectio ix.

VErum, quemadmodũ pri sca illa Anna, cùm sterilitatis morbo laboraret, per orationẽ, ac promissionẽ Samuelem procreauit: eodẽ modo hæc etiam per obsecrationem, & promissionem Dei Genitricem à Deo accepit, vt ne hic quoq; cuiquã ex illustribus matronis cederet. Itaq; gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominã parit (id enim Mariæ nomine significatur.) Verè etenim rerum omniũ cõditarum Domina facta est, cum Creatoris mater extitit. In lucem autẽ editur in domo probaticæ Ioachim, atq; ad templũ adducitur: ac deinde in domo Dei plantata, atq; per spiritum saginata, instar oliuæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur: vt quæ videlicet ab oĩ huiuscæ vitæ, & carnis concupiscentia mẽtem abstraxisset, atq; ita Virginẽ vnam cum corpore animam cõseruasset, vt eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat. Te Deum.

In ij Vesp. omnia de cõmuni, & a Cap. fit de S. Benedicto cũ cõm. S. Ioachimi, & fer. occurr.

Si hoc festum celebretur in Sabbato, aut sit trãsferatus de Dñica in feriã iij. tunc in secundis Vesp. omnia dicuntur de cõmuni, excepta Orõne propria. Et fit commẽm Dom. sequẽtis, aut fer. tertiæ occurrentis.

Die xxx. April.

IN FESTO S. CATARINÆ Senensis. Semid.

Omnia de cõmuni Virginum.

Die vj. Iunij.

IN FESTO S. NORBERTI

Fundatoris Canonicorũ Reg. Candidi Ord. Præmonstraten. Antuerpiẽsium Apostoli, Archiep. Magdeburgen. & totius Germaniæ Primatis.

Approbat. die 30. Martij 1621.

Omnia de cõi cõf. Pont. præter quæ sequuntur prop. Orõ.

DEus qui B. Norbertum Confessorem tuum, atq; Pontificem, verbi tui præconẽ eximium effecisti, & per eum Ecclesiam tuam noua prole fœcundasti: præsta quæsumus, vt eiusdem pijs suffragãtibus meritis, quod ore simul, & opere docuit, te adiuuante exercere valeamus. Per Dominum.

Lect. j. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Ex vita, quam scripsit B. Hugo Præmonstratēsis eius successor.

Lectio iiij.

NOrbertus parentibus Heriberto, & Hadenuige nobilissima inter Germanos, & Francos progenie natus, Ordinis Pręmonstratēsis institutor fuit. Eius matri grauidæ diuinitus reuelatus est, quē vtero gestabat, Archiepiscopum futurum. Egregiæ indolis adolescēs liberalibus disciplinis eruditus, ad Aulam Imperatoris missus est; verum ibi ad altiorem vitæ gradum euocatus à Deo, spretis mundi illecebris, Ecclesiasticæ disciplinæ adscribi voluit. Sacris itaq; initiatus, reiectisq. mollibus, ac splēdidis vestibus, ac pellicea melote indutus, prædicatione verbi Dei se totum ex animo dedit: atq; vt nō tam verbo, quā exemplo alios excitaret, abdicatis Ecclesiasticis prouētibus, quibus abūde erat instructus, ipso etiam patrimonio in pauperes erogato, miræ austeritatis vitam instituit, semel in die tantum sub vesperā, ac solo quadragesimali cibo se reficiens, nudisq. pedibus, ac lacera veste brumali rigore incedens. Quare potens opere & sermone, atq; Apostolico spiritu plenus, innumeros hæreticos ad fidē orthodoxam, peccatores ad pœnitentiam, dissidentes ad pacem, & concordiā traduxit: adeoq. in eo excelluit, vt S. Bernardus sibi ipsi gratuletur, quod multa de eius ore, quasi de cælesti fistula, meruerit haurire. ℟. Inueni Dauid.

Lectio v.

INterim à venerabili viro Laudunēsi Episcopo enixè rogatus à sua diœcesi ne discederet, in ea desertum locū, qui Præmonstratus dicebatur, sibi delegit: ibiq. tredecim primum nouæ, ac cælestis vitæ socijs aggregatis, Præmōstratensem Ordinem instituere aggressus est, diuinitus accepta per visum regula à S. Augustino. Admirabili deinde apparitione confirmatus Iesu Christi è Crucem pendentis, ac septē Solis radijs fulgentis, ad quem ibidem adorādum ingens peregrinorū multitudo è quatuor orbis partibus confluere videbatur, quàm multi in eundem Ordinem co

se

se recepturi essent inde præsagiens, in eodem loco primam Præmonstratensem Ecclesiam ædificauit, sacrisq. reliquijs exornauit; in primis sācti Martyris Gereonis in legione Thebæa ducis, cuius corpus cū per annos circiter octingentos iacuisset incognitum; Norberto tandem, vbi reconditum esset, diuinitus est reuelatū. Cum verò eius fama sanctitatis in dies magis augeretur, ac plurimi ad eum quotidie discipuli cōuenirent, idem Ordo ab Honorio Secundo, alijsq. Summis Pōtificibus cōfirmatus, ac plurib. ab eo Monasterijs ædificatis mirificè propagatus est, ac per eum Christianę pietatis, ac monasticæ vitę disciplina pluribus in locis restituta. ℟. Posui adiutorium. Lectio vj.

Antuerpiā paulò post accersitus, vrbem illā à nefaria Tanchelini hæresi liberauit. Insigni etiam fide miraculorum excelluit, qua & fœminę cœcæ visum, & febricitanti sanitatem, & in penuria annonæ copiam, & energumenis pluribus dęmone expulso libertatē, sospitatemq. restituit. Prophetico quoque spiritu præditus; multa futura prædixit. Creatus tandem Archiepiscopus Magdeburgensis, veluti iubar Ecclesiæ in domo Dei effulsit: Ecclesiasticam disciplinā, præsertim cœlibatū vsq; ad mortem constanter propugnauit: cumque à sicario percussus esset in humero, gladius ita resilijt, ac si lapis adamantinus ictus esset. Rhemis coacto Concilio Innocentium Secūdum egregiè adiuuit; & Romam cum alijs Episcopis profectus schisma Petri Leonis cōpressit. Tandem vir Dei magnis pro suo grege, & Ordine laboribus ingenti animarū fructu exantlatis, meritis cumulatus, ac Spiritu sancto plenus, Magdeburgi obdormiuit in Domino, Anno salutis millesimo cētesimo trigesimo quarto, die sexta Iunij; qua inter alia Monacho sui Ordinis apparuit in propria primum effigie, mox mutata in florem miri candoris, quam Angeli suscipientes, in cælum deferebant. ℟. Iste est, qui ante Deum.

In iij. Noct. Homil. in Euang.

Homo quidam peregre. de communi Confess. Pont.

Die xvj. Augusti.

IN FESTO S. HYACINTHI Confess. Duplex.

Appònend. in Breuiar. Rom. ex decret. sub die 1. Feb. 1625.

Oratio. A desto Domine: de communi Conf. non Pont.

Lect. 1. noct. de scriptura occurrente iuxta Rubricam positā in Breu. ante Dom. 3. Augusti.

In ij. Nocturno. Lect. iv.

HYacinthus Odrouasius Polonus, ex nobilibus & Christianis parentibus in Camiensi villa Episcopatus Vratislauiensis natus est. Pueritiæ annis transactis, cum Iuris prudentiæ primum, ac Theologiæ operam dedisset, inter Canonicos Cracouienses cooptatus, statim cæteros summa eruditione, ac insigni morum pietate excelluit. Romæ in Ordinē Prędicatorum ab ipso Institutore sancto Dominico adscriptus, emissaq. solemni professione, mirum est, qua constātia perfectā illā viuēdi rationem, quam ab ipso didicerat, ad vsq; vitæ finem seruauerit. Nihil illo demissius, nihil modestius. Virginitatē perpetuò coluit; patientiam, humilitatem, abstinentiā, cæterasq. virtutes tanquam certum religiosæ vitæ patrimonium adamauit.

℟. Honestum. Lect. v.

CHaritate in Deū adeò exarsit; vt sæpe integras noctes fundendis precibus, castigandoq corpori insumeret; nec vllum eidem leuamentum, nisi vel lapidi innixus, vel humi cubans adhiberet. In patriam remissus, Frisaci primum in itinere, amplissimum sui Ord. Cœnobium extruxit. Cracouiā inde reuersus, altero ibi Monasterio erecto Dominicanæ Religionis familiam propagauit. Denique studio diuini cultus amplificādi ad cęteras Poloniæ Regni Prouincias conuersus, atq; alijs quatuor per diuersa loca exædificatis monasterijs, incredibile dictu est, quātum verbi Dei prędicatione, ac vitæ innocentiā apud omnes profecerit.

℟. Amauit eum. Lect. vj.

ASsiduū sanctissimi viri studium erga proximorum salutem, maximis Deus miraculis illustrauit. Petrum quemdā in aquis submersum reuocauit ad vitam. Iudith nobilem fœminam ex paralysi elinguem, red-

reddito loquendi spiritu sanauit. Vandalum fluuium prope Visogradũ aquis redundãtem, nullo vel nauclero, vel nauigio vsus traiecit; quin etiã expanso super vndas pallio, socios quoque secum traduxit. Segetes in agro vi grãdinis, ac ventorum deiectas, effusis ad Deum precibus restituit. Nullũ diẽ prætermisit, quo non præclara aliqua fidei, pietatis, atq; innocentię documẽta pstiterit. Eo vitæ genere ad quadraginta propemodum annos perducto, ac mortis die Fratribus suis prænunciato, Cracouiæ, ipso Assũptæ Virginis festo, pijs, ac canonicis precibus recitatis, & sacrosanctis sacramentis ecclesiæ summa cum veneratione perceptis, in illis verbis: In manus tuas Domine, obdormiuit in Domino, anno millesimo ducẽtesimo quinquagesimo septimo. Dum ipsius corpus ad sepulchrum deferretur, nobilis quidam ex equo miserrimè excussus, ac repentè exanimatus; necnon infans, quẽ mater mortuum ediderat, vitæ restituti sunt. Quem postremò miraculis illustrem Clemens Papa Octauus in Sãctorum numerum retulit. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euang. secundũ Lucã. Sint lumbi vestri. de cõi conf. In Laud. fit comm. de Assumpt. & S. Laurentij.

In 2. Vesp. a Cap. fit de die oct. S. Laurentij cum commem. S. Hyacinthi, & oct. Assumpt.

Die xxv. Aug. Romæ 26.

IN FESTO S. LVDOVICI Francorum Regis, & Conf.

Approbat. die 23. *Feb.* 1619.

Oratio.

DEus qui beatum Ludouicum confessorem tuum de terreno regno ad cælestis Regni gloriam transtulisti: eius quæsumus meritis, & intercessione Regis Regum Iesu Christi Filij tui facias nos esse cõsortes. Per eundem Dominum.

In j. Noct. Lect. de scriptura occurr. ℟. de communi Confess. non Pont.

In ii. Noct. Lect. iv.

LVdouicus Nonus Galliæ Rex, duodecim annos natus, Patre amisso, in Blanchæ matris sanctissima disciplina educatus, cum iã vigesimum an-

num in Regno ageret, in morbum incidit: quo tempore cogitauit de recuperãda possessione Hierosolymorũ. Quamobrem vbi conualuisset, vexillum ab Episcopo Parisiẽsi accepit, deinde mare cum ingenti exercitu traijciẽs, primo prælio Saracenos fugauit. Sed cùm ex pestilentia magna militum multitudo perijsset, victus ipse, captusque est. Tu autem.

℞. Honestum. Lect. v.

REbus postea cum Saracenis cõpositis, liber Rex, exercitusq. dimittitur. Quinq; annis in Oriẽte commoratus, plurimos Christianos à Barbarorũ seruitute redemit, multos etiã infideles ad Christi fidem cõuertit, prӕterea aliquot Christianorum vrbes refecit suis sumptibus. Interea mater eius migrat è vita: quare domũ redire cogitur; vbi totũ se dedit pietatis officijs: atq; regno præsentia sua magnam pacem, tranquillitatemq. præbuit, & conseruauit. Sine acceptione personarũ, cõtrouersijs quorumlibet diligenter excussis, iustam ferebat sententiã. Quare proceres regni cernentes eum sapientia Dei prӕditum, diligebant eum ex animo, & nõ mediocriter verebantur. Tu autẽ.

℞. Amauit. Lect. vi.

CVm autem metueret pius Rex, ne causæ pauperum negligerentur, bis singulis hebdomadis in publico resĩdẽs loco, audiebat eorum querelas: & tum iustitia, tum misericordia eas expẽdens, celeriter eas expediebat. Multa ædificauit & Monasteria, & pauperũ hospitia: beneficentia egentes subleuabat, frequẽs visebat ӕgrotos, quibus ipse nõ solũ suis sumptibus omnia suppeditabat, sed etiã, quæ opus erant, manibus ministrabat: vestitu vulgari vtebatur; cilicio ac ieiunio corpus assiduè affligebat. Sed cum iterum transmisisset, bellũ Saracenis illaturus, iamq. castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia decessit in illa oratione: Introibo in domum tuam, adorabo ad templũ sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Eius corpus postea Lutetiam Parisiorũ trãslatum est, quod in celebri S. Dionysij tẽplo asseruatur & colitur, caput verò in sacra Aede S. Capellæ. Ipse clarus

rus miraculis à Bonifacio Papa Octauo in Sāctorū numerū est relatus. Tu aūt. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno.

Lectio sancti Euang. secundum Lucam. Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Homo quidā nobilis abijt in regionē longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosij Episcopi. *Lib.* 8. *in Luc.*

BOnus ordo, vt vocaturus gentes, & Iudæos iussurus interfici, qui noluerunt regnare supra se Christum, hāc præmitteret comparationem, ne diceretur: nihil dederat populo Iudæorum, vnde poterat melior fieri. Vt quid ab eo, qui nihil recipit, exigitur? non mediocris ista est mna, quam supra mulier Euangelica, quia nō inuenit, lucernam accendit; lumine quęrit admoto: gratulatur inuentam. Tu autem, ℟. Iste est.

Lectio viij.

DEniq; ex vna decē mnas alius fecit, alius quinque: fortasse iste moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus: ille duplicia, idest, mystica legis, & moralia probitatis. Vnde & Matthæus quinque talenta, & duo talenta posuit. In quinque talētis, vt sint moralia, in duobus vtrunque, mysticum, atque morale. Ita, quod numero inferius, re vberius.

℟. Sint lumbi vestri. Lectio ix.

ET hic possumus decē mnas decem verba intelligere: idest, legis doctrinam: quinque autem mnas, magisteria disciplinæ. Sed legisperitum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Bene autem, quia de Iudæis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt, non vtiq; æris, sed dispensationis vsuris. Alia est enim pecunia fœnebris, alia doctrinæ cælestis vsura. Tu autem. Te Deum.

Ad Laudes, & Horas, & secundas Vesperas de eodem cōmuni Conf. non Pont. Orō. Deus qui beatum Ludouicū. vt sup.

Die xx. Septembris.

IN FESTO SS. MARTYRVM Eustachij, & sociorum. Semid.

Apponend. in Breuiar. Rom. ex decret. sub die 24. Nouemb. 1625.

A Cap.

A Cap. fit de hoc Festo cum comm. SS. Ianuarij & soc. Oro.

DEus, qui nos cõcedis sanctorum Martyrum tuorum Eustachij, & sociorũ eius natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dñm.

Si hoc Festum venerit in Quatuor Temporib. Lect. 1. noct. Fratres, debitores, de cõmuni plur. mart. lectio ix. legitur de Homil. fer. occurr. cũ eius cõm in Laud. tantum, & de Vig. nihil fit, nisi in Missa. si non venerit in Quatuor Temp. ix. lect. erit de Vig. & comm. in Laud.

In ij. Noct. Lectio iv.

EVstachius, qui & Placidus genere, opibus, & militari gloria inter Romanos insignis sub Traiano Imperatore magistri militũ periculosis in bellis titulũ meruit, sed cultu virtutum, beneficentiaq. in egenos Deo placitus, admirabilis ostẽti visu ad prçstantiorem militiã translatus est. Nam cum sese aliquãdo in venatione exerceret, ac fugientem per aspera loca mirae magnitudinis Ceruum insequeretur, vidit repentè inter consistentis feræ cornua excelsam, atq; fulgentem Christi Domini è Cruce pendentis Imaginem, perceptaq. inde voce, qua ad immortalis vitç prçdam inuitabatur, domũ reuersus, vna cum vxore Theopista, ac duobus paruulis filijs Agapito & Theopisto Christianæ militiæ nomen dedit. ℟. Sancti tui.

Lectio v.

MOx ad visionis pristinæ locum, sicut ei Dominus præceperat, regressus, illum clementiori specie prænũciantem audiuit, quãta sibi deinceps pro immortali gloria perferenda essent. Quocirca varijs casibus incredibilesq́ calamitates mira patientia perpessus, breuiq. in sũmam egestatem redactus, cũ se clam subducere cogeretur, eo in itinere coniugem primum, deinde etiam liberos sibi miserabiliter ereptos, vehementer ingemuit, quos tamen Deus mirabili ꝓuidentia illæsos, Theopistamq. intactã seruauit, ignaro diuinæ opis Eustachio, qui tantis obuolutus ærumnis, in regione longinqua villicum agens, longo tempore delituit, donec cælesti voce recreatus, ac noui belli occasione à Traiano,

no, egregia ipsius facta recolen te, diligenter perquisitus, iterũ bello præficitur, in quo veterem præclaræ virtutis famã nouis laudibus insigniter cumulauit. ℟. Verbera carnif. Lec. vj.

ILla expeditione, liberis, simul cum vxore insperata felicitate receptis, victor in vrbẽ regreditur, vbi ingenti omniũ acclamatione, & Adriani potissimũ, qui Traiano successerat, gratia exceptus est; sed paulò post inanibus Dijs pro parta victoria sacrificare iussus, constantissimè renuit. Tum varijs artibus ad Christi fidem eiuran dam frustrà tentatus, vnà cum vxore, & liberis obijcitur leonibus, qui naturalis obliti feritatis, blandi se ad Sanctorũ pedes abiecerũt. Quare magis cõcitatus Imperator, eos ęneum in Taurum subiectis flammis cãdentem immitti iubet, vbi in diuinis laudibus pari simul cõsummato martyrio ad sempiternam felicitatem cõuolarunt duodecimo Kal. Octobris. Quorum corpora nulla prorsus ex parte læsa, primùm à fidelibus religiosè sepulta, inde in Ecclesiam ipsorum nomini erectam honorificè translata sunt. ℟. Tanquam.

In iij. Noct. homil. in Euang. Descendẽs Iesus de monte. de cõmuni plurimorũ martyrum. ℟. Propter. ℟. Sancti mei. Vesp. de s. Matthæo Apostolo. Duplex, sine commem.

Die vj. Octobris.

IN FESTO S. BRVNONIS Confessoris. Semidup.

Approbat. sub die 6. Maij 1623.

Oĩa de cõi Cõf. nõ Põt. p̃ter ea quæ hic apponuntur Orõ.

SAncti Brunonis Cõfessoris tui, quæsumus Domine, intercessionibus adiuuemur: vt qui Maiestatem tuam grauiter delinquendo offendimus; eius meritis, & precibus nostrorũ delictorum veniam consequamur. Per Dominum.

AD MATVTINVM.

Omnia de communi, pręter Lectiones, quę sequuntur.

In primo Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Ex eius vita apud Suriũ, & alios.

Lectio iv.

BRuno Carthusianę Religionis institutor, Colonię Agrip-

grippinę natus est. Ab ipsis autē incunabulis specimen quoddam futurę sanctitatis prętulit. Morū enim grauitate, puerilia illius ętatis, diuina fauente gratia, declinās, adeò excelluit, vt iam inde Monachorum Pater, vitæq. anachoreticæ futurus instaurator agnosceretur. Is à parentibus genere, ac virtute claris Lutetiā Parisiorum missus, tantum ibi in Philosophiæ, ac Theologiæ studijs ꝓfecit, vt Doctoris, ac Magistri munus in vtraque facultate sit adeptus, nec multo post, ob egregias ipsius virtutes Ecclesię Rhemensis Canonicatu potitus. ℞. Honestum. Lect. v.

ANno Domini supra millesimum octogesimo secundo memorabili spectaculo apud Parisios interfuit. Cum enim ad celeberrimi cuiusdam Magistri funus triduo celebrandum tota ferè ciuitas cōuenisset, accidit, vt ad illa verba psallentium, Respōde mihi, prima die se accusatum, secunda iudicatum, tertia condemnatū, ore proprio Defunctus exclamauerit. Rei nouitate, ac certæ damnationis sentētia perculsus inter alios Bruno, cum sex alijs familiaribus, mūdo renunciās, Sanctum Vgonem Episcopum Gratianopolitanum adijt. Qui causa eorū aduentus cognita, eosdemq. intelligens esse, quos eadē nocte veluti septem stellas ad suos pedes corruentes in somnis viderat, montes suæ diœcesis asperrimos, quos Carthusianos appellant, illis concessit. Illuc Bruno cum socijs, ipsoq. Vgone comitante, biennio post, secedens, cum per aliquot annos eremiticam vitam egisset, ab Vrbano Secūdo, qui eiusdem Brunonis discipulus fuerat, Romam accersitur. ℞. Amauit eum. Lect. vi.

EIus consilijs, ac doctrina Vrbanus in tot illis Ecclesiæ calamitatib. per sex annos vsus est: donec Bruno, recusato Rhegiensi Calabriæ Archiepiscopatu, discedendi facultatem obtinuit. Igitur solitudinis amore, Eremum quandam apud Squillacū in Calabriæ finibus petijt. Quo in loco cum ipsum orantem Rogerius Guiscardus Dux Calabriæ inter venādum, latrantibus ad illius speluncam canibus, quadam die reperisset,

sanctitate viri permotus, illi, ac socijs Ecclesiã S. Mariæ, ac B. Stephano de Eremo donarijs magnificentissimis à se auctas concessit. Nec liberalitas sine præmio fuit. Cum enim idem Rogerius Capuam obsideret, eumq. Sergius quidã Græcus excubiarum magister prodere statuisset, Bruno, adhuc in dicta Eremo viuẽs, in somnis illi omnia aperiens, ab imminenti periculo Ducem liberauit. Tãdem virtutũ, ac meritis plenus, nec sanctitate minus, quã doctrinæ fama clarus, conuocatis fratribus, vitã suã simul ac fidem, facta in hęc verba percelebri cõfessione cõclusit. Credo etiam Sacramenta, quæ sancta credit, & veneratur Ecclesia, & nominatim panem, & vinũ, quæ cõsecrantur in Altari, post consecrationem verũ Corpus esse Domini nostri Iesu Christi verã carnem, & verum sanguinẽ, quę & nos accipimus in remissionem nostrorũ peccatorum, & in spem salutis æternæ. Obdormiuit in Domino prid. Nonas Octob. Anno salutis millesimo centesimo primo, sepultusq. est in eodẽ Monasterio S. Stephani ab ipso Rogerio Duce constructo, vbi hactenus honorificè colitur. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euang. secundũ Lucã.

Lectio vij. *Cap. 12.*

IN illo tẽpore, dixit Iesus discipulis suis. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliq.

Homilia S. Brunonis Conf.

Ex serm. 5. de Confessoribus.

NOn possunt alij esse lucernæ ardentes, nisi illi, qui lũbos præcinctos habẽt. Lucernæ quidẽ esse possũt, ardẽtes esse nõ posũt. Nisi enim ignis inferior extinguat, superior lucere nõ põt. Inferior ignis luxuria est; superior verò quis alius, nisi gr̃a Spũs sancti? Lucernæ autẽ ipsi sunt, qui nisi cõtinẽtiã & castitatẽ habuerint, nõ lumen, & claritatẽ, sed tenebras ministrãt, & cęcitatẽ. Cœcus enim si cœcũ duxerit, ambo in foueã cadũt, Domini sententia est. Qui autẽ lucerna ardẽs esse vult, lumbos præcingat, continentiã, & castitatem custodiat. ℟. Iste est. Lectio viij.

SIc enim præcinctos esse oportet, qui Salomonis custo-

stodiut lecta. Lectus Salomonis est Ecclesia; illius videlicet Salomonis, qui ait; Ecce plusquã Salomon hic. Vnde illi benè præcincti sũt, qui super fęmur suum, suum gladium habent; illum videlicet gladium, quo castissima Iudith Holofernẽ interfecit. Apostolus enim nõ solum Episcopos, & Sacerdotes, verum etiam oẽs Christianos, sanctos, castos, & continentes esse iubet, cum dicit. Qui habẽt vxores, tanquam non habentes sint, & qui solutus est ab vxore, non ducat vxorem.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio ix. *ex serm. 7.*

SEquitur. Beati serui illi, quos, cũ venerit dominus, inuenerit vigilantes. Si ad vltimum aduẽtum respiciamus, & bonos, & malos omnes vigilãtes inueniet. Non erit tunc tẽpus dormiendi, siue boni, siue mali aliquid agendi, sed solummodo timendi, & iudicium expectandi. Ergo dum tempus habemus, cum Apostolo, operemur bonum ad omnes. Hoc est enim vigilare, in bonis operibus perseuerare. Illa anima dormit, imò quasi mortua iacet, quæ negligens, & desidiosa est, & nihil boni operatur. Ille bene vigilabat, qui ait; Media nocte surgebam ad confitendũ tibi. Iste enim non solum vigilabat, sed & vigilando Deum laudabat. Te Deum.

Ad Laudes, & per Horas, omnia de communi.

Die viii. Octobris.

IN FESTO S. BIRGITTÆ Viduæ. Semiduplex.

Approbat. die 8. Aprilis 1623.

Officium totum sumitur de communi nec Virg nec Mart. præter propria, quæ sequuntur.

Oratio.

DOmine Deus noster, qui B. Birgittæ per Filiũ tuũ vnigenitum secreta cælestia reuelasti: ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis, in reuelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per eundem Dominum, &c.

In primo Noct sumuntur Lectiones de Scriptura currente.

In secundo Nocturno.

Ex Bulla Canonizat. Bonif. ix.

Lectio iv.

BIrgitta in Regno Sueciæ Birgero patre, & Sigrida ma-

matre illustribus, pijsq. & deuotis parentibus nata, toto vitæ suæ tempore eximiæ sanctitatis clarissima dedit arguméta & exépla. Cum adhuc in vtero matris gestaretur, mater ex naufragio liberata, audiuit per somnium, seruatam se propter eam, quam in vtero portaret. Decimo ætatis anno, cũ quadã die de passione Dñi sermonem audisset, eumq. cordi suo firmiter impressisset, nocte sequenti vidit Iesum in cruce sanguine recenti perfusum, de passione sua ipsam alloquentem. Qua existimãte eum tunc temporis fuisse crucifixum, & interrogãte, quisnam eum cruci tàm dirè affixisset, respondit Dñs, ab his hoc factum, qui contemnerent charitatem ipsius. Ex eo tẽpore in passionis Domini meditatione ita afficiebatur, vt numquam sine lacrymis de ea cogitare potuerit. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

TRadita à patre nobili, & prudenti viro Vlfoni Neriçiæ Principi, ipsum ad recitãdas horas Beatiss. Virginis, ad cõfessionem peccatorũ singulis ferijs sextis faciẽdam, aliaq. pietatis officia exemplo suo, & frequenti sermone efficaciter incitabat: filios suos, & filias magna sollicitudine in timore Domini educabat: infirmorum & pauperum verè mater fuit, domo vna pro ipsis assignata, cum magna humilitate illis ministrabat, pedes etiam eorũ lauando, & osculãdo. Postea vnà cum viro Compostellam ad S. Iacobi sepulchrum profecta est: vbi in reditu Atrebati in Gallijs, marito in grauem incidente morbum, Sanctum Dionysium noctu vidit, qui eam in eo mœrore solatus est, & de viri salute, rebusq. alijs, quæ futuræ essent, prædixit. ℟. Dilexisti, &c.

Lectio vj.

POstquàm reuersi sũt in patriam, vir eius Religionem Cisterciensium in Monasterio Aluastrensi professus est; illa verò audita in somnis voce Christi, vt sua spõsa esse vellet; mox habitum mutauit & vitã. Ab eo itaque tempore per viginti & octo annos colloquijs cęlestibus fruebatur, multasque profundorum Dei arcanorum reuelationes habuit. Regulam S. Saluatoris ab ipso Domino ac-

acceptam, in Monasterio Vastanensi instituit: in quo cum duos annos exegisset, diuino monitu Romam profecta oẽs ad Dei amorẽ liberè exhortabatur, Regibusq., Principibus, Imperatoribus, & Põtificibus verba arcana in nomine Domini annunciabat. Inde Hierosolymam adijt; ex qua peregrinatione cum in febrim incidisset, per annum integrum cum morbis grauibus conflictata, plena pijs & sanctis operibus Romæ feliciter ad Dominum migrauit, Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, & à Bonifacio IX. Papa in numerũ Sanctorũ relata est. Corpus eius in Sueciam ad Monasterium Vastanense translatum. ℞. Fallax gratia.

LECTIONES RECITANDÆ in Officio Dedicationis Basilicæ SS. Apost. Petri, & Pauli die 18. Nouembris.

De mandato S.D.N. Vrb. viij. à Sac. Rituum Cong. approbatæ.

Lectio v.

Illuc Constantinus Magnus Imperator, octauo die post susceptũ Baptismum venit, deposito q. diademate, & humi iacens, vim lacrymarũ profudit: mox sumpto ligone, ac bidente terram eruit: indeq. duodecim terræ cophinis, honoris causa duodecim Apostolorũ, ablatis, ac loco Basilicæ Principis Apostolorum designato, Ecclesiam ædificauit. Quam Sanctus Siluester Papa, decimoquarto Kalẽdas Decemb. eo modo, quo Lateranẽsẽ Ecclesiã quinto Idus Nouẽbris consecrauerat, dedicauit, & in eo Altare lapideum Chrismate delibutũ erexit, atq; ex eo tẽpore sanciuit, ne deinceps Altaria, nisi ex lapide fierent. Eãdem Basilicã vetustate iamprideẽ collabentem, ac propterea multorum Pontificum pietate latiùs, ac magnificẽtiùs à fundamentis erectã, Vrbanus Octauus eadẽ die recurrente anni millesimi sexcẽtesimi vigẽsimisexti solẽni ritu cõsecrauit. ℞. O quam.

Lectio vi.

Idem Beatus Siluester Basilicã Sãcti Pauli Apostoli Via Ostiẽsi ab eodẽ Cõstantino Imperatore magnificẽtissimè ædificatã dedicauit. Quas Basilicas Imperator multis p̃dijs attributis locupletauit, ac munerib.

amplissimis exornauit. Cuius Imperatoris tantus fuit ardor Religionis, vt deletis Idolorũ Templis, multas vbique terrarum extruxerit Ecclesias, & præcipuè Romæ: in quibus fuerunt Basilica Sanctæ Crucis ad Ierusalẽ in Agro Sessoriano, Sancti Laurentij extra muros in Agro Verano, Sanctorum Petri, & Marcellini Via Lauicana, aliæq. permultæ. ℟. Mane surgens.

Die ij. Decemb.

IN FESTO S. BIBIANÆ

Virg. & mart. Semid.

Apponendum in Breuiario Rom. ex mandato S. D. N. Vrbani Papæ Octaui. Et à Sacra Congregat. Rituum recognitum, & approbatũ die 21. Noueb. 1628.

Omnia de communi Virg. & Mart. præter Lectiones ij. Nocturni cum commem. fer. si venerit in Aduentu. Oratio.

INdulgentiam nobis, quęsumus Domine, Beata Bibiana Virgo, & Martyr imploret: quæ tibi grata semper extitit, & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum.

In j. Noct. Lect. de Scriptura occurrente.

In ij. Noct. Lectio iiij.

BIbiana Virgo nobili genere nata, Christiana fide nobilior fuit. Eius enim pater Flauianus sub Iuliano Apostata impijssimo Tirãno Exprafectus, seruilibusq. notis eidem inustis, ad Aquas Taurinas deportatus, martyr occubuit. Mater Dafrosa, & filiæ primũ conclusæ domi, vt inedia conficerentur; mox relegata mater extra Vrbem capite plexa est. Mortuis autem pijs parentibus, Bibiana cũ sorore sua Demetria bonis omnibus expoliatur; Apronianus Vrbis Prætor, pecunijs inhians, sorores persequitur, quas humana prorsus ope destitutas, Deo mirabiliter, qui dat escam esurientibus, enutriẽte, cum viuaciores, vegetioresq. conspexisset Prætor, vehementer est admiratus. ℟. Propter veritatem. Lectio v.

SVadet nihilominus Apronianus, vt venerẽtur Deos gentium, amissas ideo opes, Imperatoris gratiam, præclarissimas nuptias consecuturæ. Si se-

secus saxerint, minatur carceres, virgas, secures. At illæ neque blanditijs, neq; minis à recta fide declinantes, paratæ potius mori, quàm fœdari moribus Ethnicorum, Prætoris im pietatem constantissimè detestantur. Quare Demetria ob oculos Bibianæ repentè obijt in Domino; Bibiana seipsa fortior Rufinæ mulieri vaferrimæ deprauanda traditur, quæ ab incunabulis edocta, Christianas Leges, & illibatum seruare Virginitatis florem, fœminæ superauit insidias, & Prætoris astus delusit. ℟. Dilexisti.

Lectio vj.

Nihil autem proficiente Rufina, quæ, præter dolosa verba, illam quotidiè verberibus affligebat, vt de sancto proposito dimoueret, spe sua frustratus Prætor, accēsus ira, quòd in Bibiana perdidisset operam, à Lictoribus eam denudari, vinctisq. manibus columnæ alligari, eamque plumbatis cædi iubet, donec efflaret animam. Cuius sacrum Corpus obiectum canibus biduo iacuit in foro Tauri, illæsum tamen, & diuinitus seruatū; quod deinde Ioannes Presbyter sepeliuit noctu iuxta sepulchrum sororis, & matris ad palatium Licinianum, vbi hodie insignis extat Ecclesia Sanctæ Bibianæ nomine Deo dicata, & ab Vrbano VIII. restaurata. ℟. Afferentur Regi.

In iij. Nocturno.

Homil. S. Greg. in Euang. Simile est regnum Cælorum thesauro. de communi non Virg. Missa. Me expectauerunt. de communi Virg. & Mart.

Die xxvj. Maij.

IN FESTO S. PHILIPPI

Nerij Congregat. Oratorij Fundatoris. Ad libitum. Oīa de cōi conf. non Pont. præter Orationem & Lect. ij. Nocturni.

Oratio.

Deus, qui Beatum Philippum Cōfessorem tuum, Sāctorum tuorum gloria sublimasti, concede propitius: vt cuius solemnitate lętamur, eius virtutum proficiamus exēplo. Per Dñm nostrum Iesum Christum filiū tuum. Qui tecum, &c.

In ij. Noct. Lectio iiij.

Philippus pijs, honestisq. parentibus Florentiæ natus,

ab ipsa ineunte ætate, non obscura dedit futuræ sanctitatis indicia. Adolescens, ampla Patrui hæreditate dimissa, Romã se contulit; vbi philosophia, ac sacris litteris eruditus, totum se Christo dicauit. Ea fuit abstinentia, vt sæpe ieiunus triduum permanserit. Vigilijs, & orationibus intẽtus, septẽ Vrbis Ecclesias frequenter visitans, apud cœmeterium Callisti in cælestium rerum contemplatione pernoctare cõsueuit. Sacerdos ex obedientia factus, in animarum salute procuranda totus fuit; & in confessionibus audiendis ad extremũ vsq; diem perseuerans, innumeros penè filios Christo peperit; quos verbi Dei quotidiano pabulo, Sacramentorum frequentia, Orationis assiduitatẽ, alijsque pijs exercitationibus enutriri cupiens, Oratorij Congregationem instituit.

Lectio v.

CHaritate Dei vulneratus languebat iugiter: tantoq. cor eius æstuabat ardore, vt cũ intra fines suos contineri non posset, illius sinum, confractis; atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliauerit. Sacrum vero faciens, aut feruentius orans, in aera quandoq; sublatus, mira vndique luce fulgere visus fuit. Egenos & pauperes omni charitatis officio prosequebatur: dignus, qui & Angelo in specie pauperis eleemosynam erogaret; & cũ egentibus noctu panem deferret, in foueam lapsus, inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur. Humilitati addictus ab honoribus semper abhorruit, atq; Ecclesiasticas dignitates, etiam primarias, non semel vltrò delatas, constantissimè recusauit.

Lectio vj.

PRophetiæ dono fuit illustris, & in animorum sẽsibus penetrandis, mirificè enituit. Virginitatem perpetuò illibatam seruauit: idq. assecutus est, vt eos, qui puritatem colerent, ex odore, qui vero secus; ex fœtore dignosceret. Absentibus interdum apparuit, ijsq. periclitantibus opem tulit. Aegrotos plurimos, & morti proximos sanitati restituit. Mortuum quoq; ad vitam reuocauit. Cælestium spirituum, & ipsius Deiparæ Virginis frequẽ-

ter fuit apparitione dignatus; ac plurimorum animas splendore circumfusas in cælum conscendere vidit. Denique anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, octauo Kal. Iunias, in quē diē inciderat festum Corporis Christi, Sacro maxima spiritus exultatione peracto, cæterisq. functionibus expletis, post mediā noctem, qua prædixerat hora, octogenarius obdormiuit in Domino. Quem Greg. XV. miraculis clarum in Sanctorum numerum retulit.

In iii. Noct. Homil. in Euang. Sint lumbi vestri, &c.

In FESTO IMPRESSIONIS Sacrorum Stigmatum in corpore B. Francisci. Semid.

De mandato S.D.N. Pauli Papæ Quinti à Sac. Rituum Congregat. recognitum.

A Sanctitate sua approbatum, ac omnibus viris Ecclesiasticis tā sæcularibus quam Regularibus vtriusque sexus, qui Officium recitare voluerint, concessum, vt illud recitare possint, & valeant in vniuerso Orbe, die 17. Septemb. ad libitum.

Oīa ut de cōi confessor. Pont. exceptis ijs, quæ hic propria ponuntur. ℣. Signasti Domine seruum tuum Franciscum. ℟. Signis redemptionis nostræ.

Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui frigescente mundo ad inflammandum corda nostra tui amoris igne in carne beatissimi Francisci Passionis tuę sacra Stigmata renouasti: concede propitius, vt eius meritis & precibus Crucem iugiter feramus, & dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus.

In primo Nocturno.

De epistola B. Pauli Apostoli ad Galatas.

Lectio j. *cap. 5. & 6.*

SI spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi. Nam si quis exi-

existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autē suum probet vnusquisque; & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & nō in altero. Vnusquisq; enim opus suum portabit. Communicet autē is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Tu autem.

Lect. ii.

NOlite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hęc & metet. Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonū ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Videte, qualibus litteris scripsi vobis mea manu. Quicunq; enim volunt placere in carne, ij cogunt vos circuncidi, tantùm, vt Crucis Christi persecutionem non patiantur. Neq; enim qui circunciduntur, legem custodiunt, sed volunt vos circuncidi, vt in carne vestra glorientur.

Lectio iii.

MIhi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quē mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neq; præputiū, sed noua creatura. Et quicūque hanc regulā secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. De cętero nemo mihi molestus sit. Ego enim Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.

In secundo Nocturno.

De sacris Stigmatibus.

D. Bonauent. in legenda Sancti Francisci. c. 13. Lectio iv.

FIdelis reuera famulus, & minister Christi Frāciscus biennio antequā spiritum redderet cælo; cū in loco excelso seorsum, qui mons Aluerniæ dicitur, quadragenarium ad honorem Archangeli Michaelis ieiuniū inchoasset: supernę contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cælestium desideriorū ardentiori flamma succēsus, supernarum

cœ-

cœpit immissionũ cumulatius dona sentire. Dum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deũ, & affectus compassiua teneritudine in eum trãsformaretur, cui ex charitate nimia crucifigi cõplacuit: quodam mane circa festũ Exaltationis sanctæ Crucis, in latere montis orãs, vidit quasi speciẽ vnius Seraphim sex alas tam fulgidas, quàm ignitas habentẽ de cælorum sublimitate descendere, qui volatu celerrimo ad aeris locum viro Dei propinquum perueniens, non solum alatus, sed & crucifixus apparuit: manus quidem, & pedes habens extẽsos, & Cruci affixos, alas verò sic miro modo hinc inde dispositas, vt duas supra caput erigeret, duas ad volandum extenderet, duabus vero reliquis totum corpus circumplectendo velaret. Hoc vidẽs vehemẽter obstupuit, mixtumq. doloris gaudium mens eius incurrit, dũ & in gratioso eius aspectu sibi tam mirabiliter, quam familiariter apparẽtis excessiuam quandam concipiebat lætitiam, & dira conspectia crucis affixio ipsius animã compassiui doloris gladio pertransiuit. Lectio v.

INtellexit quidẽ illo docẽtẽ interius, qui & apparebat exterius: quod licet Passioni infirmitas cum immortalitate Spiritus Seraphici nullatenus conueniret: ideo tamen huiusmodi visio suis fuerat præsentata conspectibus: vt amicus ipse Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi Iesu Crucifixi expressã similitudinem transformandũ. Disparẽs itaq; visio post arcanum, ac familiare colloquium mẽtem ipsius Seraphico interius inflammauit ardore: Carnem verò Crucifixo conformi exterius insigniuit effigie, tanquam si ad ignis liquefactiuam virtutem præambulam sigillatiua quædã esset impressio subsecuta. Statim namq; in manibus, & pedibus eius apparere cœperunt signa clauorum ipsorum capitibus in inferiori parte manuum, & superiori pedum apparẽtibus, & eorũ acuminibus existentibus ex aduerso. Dextrũ quoque latus quasi lancea transfixum rubra cica-

tri-

trice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundēs tunicam, & femoralia respergebat. Lectio vj.

POstquam igitur nouus homo Frācíscus nouo, & stupendo miraculo claruit, cũ singulari priuilegio retroactis sęculis nō concesso insignitus apparuit, sacris videlicet Stigmatibus decoratus descendit de monte secum ferens Crucifixi effigiem, nō in tabulis lapideis, vel igneis manu figuratā artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei viui: quoniā Sacramentum Regis Seraphicus vir abscondere bonũ esse optimè norat, secreti Regalis conscius, signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verũ quia Dei est ad gloriam suā magna reuelare, quæ facit dominus ipse, qui signacula illa secretè impresserat, miracula quædā apertè per ipsa monstrauit, vt illorũ occulta, & mira vis Stigmatum, manifesta pateret claritate signorum. Porrò rem admirabilem, ac tantopere testatā, atq; in Pontificijs diplomatibus pręcipuis laudibus & fauoribus exaltatā Benedictus Papa Vndecimus anniuersaria solemnitate celebrari voluit, quam postea Paulus Quintus Pōtifex Maximus, vt corda fidelium in Christi crucifixi accēderētur amorē, propagauit.

In tertio Nocturno. Homil. in Euang. Siquis vult venire post me, quæ habetur in communi vnius martyris.

℟. viij. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Dñi nostri Iesu Christi: Per quē mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. ℣. Ego enim Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Per quem. Gloria. Per quē.

IN FESTO S. ANGELI Custodis.

Quod Festum omnibus Christi fidelibus S.D.N. Paulus V. liberè celebrandum concessit prima die non impedita Officio ix. Lectionum post Festũ Dedicationis S. Michaelis Archangeli. Duplex minus.

Ad Vesperas, Antiphona.

ANgelis suis, &c. cũ reliq. de Laud. Psal. Dixit dñs. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri dominum. Laudate dominum omnes gentes.

Capitulum. *Exod.* 23.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem preparaui: obserua eum, & audi vocem eius.

Hymnus.

Cvstodes hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili, quos Pater addidit
Cęlestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.
Nā quod corruerit proditor Angelus,
Concessis meritò pulsis honoribus,
Ardēs inuidia pellere nititur
Quos cælo Deus aduocat.
Huc custos igitur peruigil aduola,
Auertēs patria de tibi credita
Tam morbos animi, quam requiescere
Quidquid nō sinit incolas.
Sanctæ sit Triadi laus pia iugiter,
Cuius perpetuo numine machina
Triplex hæc regitur, cuius in omnia
Regnat gloria sæcula. Amē.

℣. In cōspectu Angelorū psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad tēplum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Omnes sūt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.

Oratio.

Deus, qui ineffabili prouidentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicib. tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regē Angelorū Dominū, Venite adoremus. Psal. Venite exultemus. Hymn. Custodes hominum, vt sup in Vesp.

In primo Nocturno, Antiph.

Dominus Deus cæli & terræ, ipse mittet Angelum suum coram te. Psal. Domine dominus noster. Aña. Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi. Psal. In Domino confido. Antiph. Bene ambuletis, & dominus sit in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum. Psal. Domine quis habitabit. ℣. Stetit Angelus

lus iuxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

De lib. Exodi. Lect. j. cap. 23.

ECce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum, quem pręparaui. Obserua eum, & audi vocem eius. nec contemnendum putes, quia nõ dimittet cum peccauerit: & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocẽ eius, & feceris oĩa, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. præcedetq. te Angelus meus. ℟. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: In manibus portabunt te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebãt ei. In manibus.

Ex Zacharia Propheta.

Lectio ij. cap. 1.

FActum est verbũ Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo Prophetã, dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & post eum equi rufi, varij, & albi. Et dixit: Quid sunt isti, Domine mi? Et dixit ad me Angelus domini, qui loquebatur in me: Ego ostẽdam tibi, quid sint hæc. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt, quos misit dominus, vt perambulent terram. Et respõderunt Angelo domini, qui stabat inter myrteta, & dixerũt: Perambulauimus terrã, & ecce omnis terra habitatur, & quiescit. ℟. Respondit Angelus Domini, & dixit Domine exercituum: Vsquequo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus est. ℣. Iste enim septuagesimus annus est. Vsquequo.

Ex Zacharia. Lect. iij. cap. 2.

ET leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum, & dixit: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Vt metiar Ierusalem, & videam, quanta sit latitudo eius, & quanta lõgitudo eius. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Curre, lo-

quere ad puerum istum, dicēs: Absq; muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius. ℟. In conspectu gentiū nolite timere, vos enim in cordibus vestris adorate, & timete dominum: Angelus enim eius vobiscum est. ℣. Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Angelus enim. Gloria Patri. Angelus enim.

In iij. Noct. Antiph. Cum essem vobiscum, per voluntatē Dei eram: ipsum benedicite, & cantate ei. Psal. Cæli enarrant gloriam Dei. Anā. Tollens se Angelus Dñi, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos. Psal. Domini est terra. Ana. Immittet Angelus Dñi in circuitu timentium eū, & eripiet eos. Psal. Benedicam Dominum. ℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. ℟. De manu Angeli.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *In Psal. Qui habitat.* Lectio iiij.

ANgelis suis mādauit de te. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim? Quibus? de quo? quid mandauit? studiosè consideremus, fratres, diligenter cōmendemus memoriæ hoc tam grāde mandatum. Quis enim mandauit? cuius sunt Angeli? cuius mandatis obtemperant: cuius obediunt voluntati? nēpè Angelis suis mandauit de te, vt custodiāt te in omnibus vijs tuis. Nec cunctanter, quin etiam in manibus tollant te. Sūma ergo maiestas mandauit Angelis, & Angelis suis mādauit. Illis vtiq; sublimibus, tam beatis, quàm proximis sibi cohærentibus, & verè domesticis mādauit de te. Tu quis es, Domine? Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniā reputas eū? Quasi verò nō sit homo putredo, & filius hominis vermis. Sed quid putas mādauit de te? vt custodiant te. ℟. Viuit ipse Dominus, Quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi cōmorantem, & inde huc reuertentem. ℣. Et non permisit me dñs ancillam suam coinquinari. Quoniam.

Lectio v.

QVantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam! reuerentiam pro præsentia, deuotionẽ pro beneuolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, vt videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo pręsente, quod vidente me non auderes? An præsentem esse dubitas, quē non vides? Quid si audires? Quid si tangeres? Quid si olfaceres? Vide, quia non solo visu rerum præsentia comprobetur. ℟. Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace: Et non tetigit eos omnino ignis, neq; contristauit. ℣. Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum. Et non tetigit eos.

Lectio vj.

IN ipso itaque fratres, affectuosè diligamus Angelos eius, tanquā futuros aliquando coheredes nostros, interim verò actores, & tutores à patre præpositos, & prępositos nobis. Quid sub tantis custodibus timeamus? nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris; fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt. Quid trepidamus? Tantū sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cæli commoremur. Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuū in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, & dic, Domine salua nos, perimus. ℟. In omni tribulatione eorum nō est tribulatus: Et Angelus faciei eius saluauit eos. ℣. In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus sæculi. Et Angelus faciei. Gloria Patri. Et Angelus faciei.

In iij. Noct. Ana. Misit Dominus Angelum suum, qui percussit omnem virum robustū, & bellatorem, & principem exer-

exercitus regis Assyriorum. Psal. Cantate Domino. Aña. Adorate Dominum omnes Angeli eius, audiuit, & lætata est Sion. Psal. Dominus regnauit exultet. Aña. Benedicite domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendã vocem sermonum eius. Psal. Benedic anima mea. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio S. Euang. secundũ Matthæum. Lect. vij. *cap.* 18.

IN illo tempore: Accesserũt Discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliq.

Homilia S. Hilarij Episc.

HVmilitas passionis scãdalum mundo est. In hoc enim maximè ignorantia detinetur humana, quod sub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominum noluit accipere. Et quid mundo tam periculosum, quam non recepisse Christum? Verumtamen sub hominis nũcupationem auctorem scandali huius Iudaicum populum designat, per quẽ omne hoc mundo periculum comparatur, vt Christum in passione abnegent, quem lex, & Prophetæ passibilem prædicauerunt. Ideo enim necesse ait venire scandala, quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset explẽda. ℟. Machabæus, & qui cũ eo erant, cognouerunt expugnari præsidia: Cum fletu, & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, vt bonũ Angelum mitteret ad salutem Israel. ℣. Cũ pariter prompto animo procederent Ierosolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candida. Cum fletu. Lect. viij.

VIdete, ne contemnatis vnum de pusillis istis, qui credunt in me. Aptissimum vinculum mutui amoris impo suit ad eos præcipuè, qui verè in Domino credidissent: pusillorum enim Angeli quotidie Deum vident. Quia filius hominis venit saluare, quæ perdita sunt. Ergo, & filius hominis saluat, & Deum Angeli vident, & Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus,

Præesse Angelos absoluta auctoritas est. Saluatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculosè ille contemnitur, cuius desideria, & postulationes ad æternum, ac inuisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu, aç ministerio peruehuntur. ℟. Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Iuda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: Et nunc dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui.
℣. Vt metuant, qui cum blasphemia veniunt aduersus sanctum populum tuum. Et nunc. Gloria Patri. Et nunc.

Lectio ix.

ATque vt ingentem esse in cælis lætitiam reditu humanæ salutis ostenderet, comparationis posuit exemplum eius, qui oues nonaginta nouē in montibus reliquisset, & errantem vnam requisisset, qua inuenta plus gaudij sit, quam habebatur in nonaginta nouē conseruatione lætitiæ. Quis vna homo intelligendus est, & sub homine vno vniuersitas sē tienda est. Sed in vnius Adæ errore hominum genus aberrauit. Ergo nonaginta nouem non errantes multitudo Angelorum cælestium opinanda est, quibus in cælo est lætitia, & cura salutis humanæ. Igitur & quærens hominem, Christus est, & nonaginta nouem relicti, cælestis gloriæ multitudo est, cui cum maximo gaudio errans homo in Domini corpore est relatus. Te Deum.

AD LAVDES,
& per Horas, Antiph.

ANgelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Psal. Dominus regnauit. cum reliq. Antiph. Laudemus dominum, quem laudant Angeli, quem Cherubim, & Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant. Antiph. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cælis. Aña. Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum. Aña. Laudate Deū oēs Angeli eius, laudate eum oēs virtutes eius.

Ca.

Capitulum. *Exod.* 23.

ECce ego mitto Angelum meum qui præcedat te,& custodiat in via , & introducat ad locum,quem præparaui:obserua eum, & audi vocem eius.

Hymnus.

ORbis patrator optime,
Qui quidqd est , potētia
Magna creasti , nec regis
Minore prouidentia .
Adesto supplicantium
Tibi reorum cœtui ,
Lucisque sub crepusculum
Lucem nouam da mentibus.
Tuusque nobis Angelus
Signatus ad custodiam
Hic adsit , à contagio
Qui criminū nos protegat.
Serpentis nobis æmuli
Calumnias exterminet ,
Ne rete fraudulentiæ
Incauta nectat pectora .
Metum propellat hostium
Nostris procul de finibus ,
Pacem procuret ciuium ,
Fugetque pestilentiam .
Deo Patri sit gloria ,
Qui,quos redemit Filius,
Et sanctus vnxit Spiritus ,
Per Angelos custodiat .
Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus .
℟. Adorabo ad templum sanctum tuum , & confitebor nomini tuo .

Ad Benedictus, Antiphona.

Reuersus est Angelus, qui loquebatur in me , & suscitauit me , quasi virum , qui suscitatur à somno suo .

Oratio.

DEus , qui ineffabili prouidentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris : largire supplicibus tuis , & eorum semper protectione defendi , & æterna societate gaudere. Per Dominum.

Ad Tertiam Capitulum.

Ecce ego mitto. vt supra in Vesp. ℣. Stetit Angelus, Iuxta aram templi , Stetit.
℟. Habens thuribulum aureum in manu sua. Iuxta aram. Gloria Patri. Stetit.
℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini . ℟. De manu Angeli . Oratio vt sup.

Ad Sextam.

Capitulum. *Exod.* 23.

NEc contemnendum putes , quia non dimittet cum peccaueris : & est nomen

meum in illo. ℟. Ascendit fumus aromatum. In conspectu Domini. Ascendit.
℣. De manu Angeli. In conspectu Domini. Gloria Patri. Ascendit. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Oratio vt supra.

Ad Nonam.

Capitulum. *Exod. 23.*

QVòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetque te Angelus meus. ℟. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. In conspectu.
℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psallam. Gloria Patri. In conspectu. ℣. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli eius. Oratio vt supra.

In secundis Vesperis, Añ. Angelis suis. cum reliq. de Laudibus. Psalm. Dixit Dominus. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri Dominum. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti.

Capitulum, Hymnus, & Vers. vt supra in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Antiphona.
Sancti Angeli custodes nostri defendite nos in prælio, vt non pereamus in tremendo iudicio. Oratio vt sup.

Die iiij. Nouembris.

IN FESTO S. CAROLI

Episc. & Confess.

Sub ritu semiduplici de communi vnius Episc. Confess. præter Orationem, & Lectiones proprias pro secundo Noct.

A Sacra Rituum Congregat. recognitas & approbatas, ac omnibus, qui officium diuinum recitare tenentur, concessas, vt liberè, & licitè in Natali eiusdem 4. Nouembris ad libitum illas recitare possint, & valeant.

Oratio.

ECclesiam tuam Domine sancti Caroli Confessoris tui, atque Pontificis continua protectione custodi; vt sicut illum Pastoralis sollicitudo gloriosũ reddidit, ita nos eius intercessio in tuo semper faciat amore feruentes. Per Dñm.

Le-

Lectio iv.

CArolus Mediolani nobili Borromæorum Familia natus, quanta futurus esset sanctitate conspicuus, diuina lux super parientis matris cubiculum noctu coruscans præsignauit. A pueritia clericali militiæ adscriptus, Abbatia postmodum insignitus, Patrem admonuit, ne redditus in rem familiarem conuerterentur: quorum ipse nactus administrationem, quicquid supererat, expendebat in pauperes. Adolescens liberalibus disciplinis Papiæ operam dedit. Castitatem adeo coluit, vt impudicas etiam mulieres ad labefactandam eius pudicitiam pluries immissas inuicta constantia fugauerit. Vigesimumtertium ætatis annum agens à Pio Quarto eius Auunculo in sacrum Cardinalium Collegiũ cooptatus, insigni pietatis, ac virtutum omnium splendore præluxit. Mox ab eodem Mediolanẽsis Archiepiscopus creatus, in eo plurimam operam adhibuit, vt iuxta Sacrosanctum Tridentinum Concilium, quod eius potissimum sollicitudine iã tum fuerat absolutum, Ecclesiam sibi commissam componere, atque vt deprauatos Plebis suæ mores reformaret, præter iteratam sæpius Synodorum celebrationem, seipsum eximiæ sanctitatis præbuit exemplar. In profligandis hæreticis è partibus Rhetorum, & Heluetiorum, quorum plurimos ad Christianam fidem conuertit, maximè laborauit. Tu autem.

Lectio v.

HVius viri charitas præcipue enituit, cum Vritano Principatu vendito, pretium vniuersum ad quadraginta aureorum millia, vna die in pauperes erogauit. Nec minori pietate viginti millia, quæ sibi fuerant legata, distribuit; Ecclesiasticos prouentus, quibus ab auunculo copiosè fuerat cumulatus, dimisit, nonnullis retentis, quibus ad proprios vsus, & egenorum necessitates vtebatur. Quo tempore pestis Mediolani grassabatur, domesticam supellectilem, ne relicto sibi lectulo, in eosdem alendos contulit, super nuda in posterum tabula decum-

cumbens, eoque morbo laborantes sedulo inuisens, paterno reficiebat affectu, & Ecclesiæ sacramenta proprijs ipse manibus administrans, mirum in modum solabatur; humillimis interim precibus reconciliator accedens, publica supplicatione indicta, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam offendiculo cruentatis, crucem baiulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerēs diuinam indignationem auertere satagebat. Ecclesiasticæ libertatis fuit acerrimus propugnator; Disciplinæ verò restituendæ sollicitus, à seditiosis, dum orationi insisteret, tormenti bellici laxata rota, igneo globulo percussus diuina virtute seruatur illæsus. Tu autem.

Lectio vj.

ABstinentia fuit admirabili. ieiunabat sępissimè pane tantum, & aqua, solis quandoque lupinis contentus. Nocturnis vigilijs, asperrimo cilicio, assiduis flagellis corpus domabat. Humilitatis ac mansuetudinis studiosissimus fuit. Orationē, ac Verbi Dei prædicationem, grauissimis licet curis occupatus, nunquam intermisit. Multas Ecclesias, Monasteria, Collegia ædificauit: plura scripsit ad Episcoporum præsertim instructionem vtilissima, cuius etiam opera Parochorum Catechismus prodijt. Demum in solitudinem Varalli Montis, vbi sculptis Imaginibus Dominicæ Passionis mysteria ad viuum repræsentantur, secessit, ibique diebus aliquot voluntaria castigatione asperam, sed Christi dolorum meditationibus suauem vitam ducens, in febrim incidit. Mediolanum reuersus, ingrauescente morbo, cinere, ac cilicio coopertus, & oculis in Crucifixi imaginem defixis, migrauit in cælum, ætatis anno quadragesimo septimo, Domini vero millesimo quingentesimo octogesimoquarto, pridie nonas Nouembris. Quem miraculis clarum Paulus Quintus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit. Tu autem Domine.

ORA-

ORATIO DICENDA ante Diuinum Officium.

APeri Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, peruersis, & alienis cogitationibus; intellectum illumina; affectum inflamma; vt digne, attente, ac deuote hoc Officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conspectum diuinæ Maiestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Domine in vnione illius diuinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persoluisti, has tibi Horas persoluo.

Orationem sequentem deuote post Officium recitantibus, Leo Papa Decimus defectus, & culpas in eo persoluendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

SAcrosanctæ, & indiuiduæ Trinitati; Crucifixi Domini nostri IESV CHRISTI humanitati; Beatissimæ, & Gloriosissimæ, semperque Virginis MARIÆ fœcundæ integritati; & omnium Sanctorum vniuersitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum.

Pater noster. Aue Maria.

LAVS DEO.